

fiduis Ejus, frequentes hâc de materiâ sermones ultrò citroque habebantur, mirantibus tantò temporis tractu tam luculentum opus delituisse. Et quamquam Thraces sic numerasse, à Doctore nostro admoniti, noveramus, qui tamen qualisve computus iste fuerit, non suppetebat. Hæc dum invicem musitabamus, fortè fortunâ accidit, ut Pythagoræ, ejusque Tetractyos, ab ipsò etiam Auctore, admoneremur. Oriente igitur super isthòc quæstione, in quònam sc. hæc constitisset? auctorum quorundam evolvendi necessitas injungebatur. Vix autem unò alteròve consultò, suspicio se ingerebat, Weigeli nostri Inventum cum Pythagoræ suò aut paria facere, aut omninò conspirare. Opinio hæc, cum scriptorum lectione latius crescens, eò tandem convaluit, ut Doctor ipse noster Amico cuidam meo colendiss. Dn. M. Burgero svasor fieret, publicam hâc de materiâ disputationem adornandi. Id quâ ratione is sit exequutus, ipsa, quam hisce mitto, dissertatio eloquetur. In conflictu, cui & ipse immiscebar opponentis partes administrans, dubia multa comportabantur, quibus opulenta ulterius rimandi seges efflorescebat. Seges isthæc non numerorum duntaxat, sed etiam rerum ariftis postmodũ exuberavit, quibus sæpè laudatus Auctor Nobilissimus in quadros quasi mergites colligatis amplissimum *Tetra-*  
*ctyos*